





182.

L. B. V.  
DISPUTATIO PRIOR  
DE

M. 3-27  
9  
**PRINCIPIO  
JURIS NATURÆ  
GENUINO,** 1709/22

Quam  
Rectore Academiæ Magnificentissimo,  
Principe Serenissimo ac Domino,  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
Electoratus Saxon. Herede,  
&c. &c. &c.

D. XVII. Augusti M D C C I X.  
hor. matut.

eruditorum examini  
subjicient

P R A E S E S

M. JO. ANDREAS Knoblauch/  
&  
Respondens  
DAVID CHRISTIANUS LANGIUS,  
Wittenbergenses,  
Ex Matre Fratres.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.



VIRIS

*Prænobilissimis, Amplissimis,  
Consultissimisque*

*Reipublicæ Wittenbergensis*

**C O N S U L I** gravissimo,  
**S Y N D I C O** Jureconsultissimo,  
**P R Ä T O R I B U S** magna auctori-

*tate conspicuis,*

*ceterisque S E N A T O R I B U S* præ-  
stantissimis,

*Dominis ac Mæcenatibus suis,*

Primum hoc specimen Aca-  
demicum

offert, eorumque patrocinio ac  
favori se commendat

David Christianus Langius,  
Wittenbergensis.



De  
**PRINCIPIO JURIS NATURÆ  
GENUINO.**

## §. I.

A 2 depre-

deprehendimus, quot libri hactenus de hac doctrina in lucem prodierunt. Alius ex voluntate Dei absoluta, aliis ex statu integritatis, & imagine divina, aliis ex statu quodam bellicoso, seu bello omnium erga omnes, aliis ex societatis custodia, aliis ex conservatione sui, aliis alio ex capite decreta Juris Nat. deducere conatus est; ut adeo cui tuto fidendum, vix primo intuitu dignosci queat. Evidet jamdum Lactantius, Cicero ille Christianus, *Lib. III. Div. Instit. cap. VII.* de Philosophia Morali, quum illam cum Physica compararet, judicavit: *Hic nullum dissidio, nullum errori esse locum; omnes unum sentire oportere, ipsamque Philosophiam uno quasi ore praecipere; si quid fuerit erratum, vitam omnem everti.* Nihilosecius quantopere ab hoc Lactantii enunciato recesserint morum doctores, satis abundeque inter eruditos constat. Operae igitur pretium nos facturos arbitrati sumus, si vires ingenii in hac doctrinæ parte exploraremus, & non quidem nova opinione dissidiorum numerum cumularemus, sed potius de ejusmodi principio Juris Nat. genuino & adæquato cogitaremus, cum quo plerorumque sententiæ, veræ communiter, sed non adæquatæ, conciliari possent. Institutum ita prosequemur, ut, declarato breviter genuino principio, primarias aliorum opiniones circa hanc doctrinam strictim simul ad limam revoemus, & quomodo illæ vel cum nostra sententia conciliandæ, vel prorsus improbandæ sint, demonstremus.

## §. II.

De terminis exponendis non opus esse, putamus, ut magnopere simus solliciti, quum quivis jamdum

dum sciat , quid per Principium , quid per Jus , quid per Naturam intelligatur. Nempe quando de Principiis hic differitur, sermo est partim de *principiis effendi seu constitutivis*, partim de *principiis cognoscendi*. De prioribus non tam inter se dissentunt eruditii, quam de posteriori. Omnes enim ferme Deum pro *causa efficiente* Juris Nat. agnoscunt, praeter Moralistas quosdam Scholasticos, quos improvide etiam Grotius fuit secutus, & Atheos, ac Naturalistas illos, qui existimant, etiam locum habere Jus Nat. licet demus, non esse Deum. *Conf. Grotius in Proleg. de J. B.*  
*ac P. Kulpinius Colleg. Grot. Exercit. I. §. III. Puffendorffius de Jure N. & G. Lib. II. cap. III. §. XIX.* Sed hosce a vi-ris cordatis abunde jam constitutos novimus. Nam Jus Nat. sine Deo sibi imaginari velle, idem foret, ac si quis legem diceret sine legislatore. *Materiam J.* Nat. omnium consensione constituunt bona & mala, honesta ac turpia. Illa quidem, prouti natura nos monet, esse ea necessario talia, ut ea prosequamur & appetamus; haec vero, ut ipsa diligenter fugiamus ac evitemus. Quanquam hic etiam aliqui difficilis quæstio moveri solet, undenam honestas ac turpitudo illa originem ducat? ortumne habeat ex voluntate divina, an vero in se jamdum actiones quædam vel turpes vel honestæ ante omnem Dei voluntatem dicendæ sint? Illam tamen controversiam facile sopiri posse existimamus, si nobiscum reputaverimus, Deum in constituendo decreto de creatione rerum non potuisse ea decernere, quæ vel imperfectionem, vel contradictionem involverent. Postquam autem Deus decrevit hominem condere rationalem, ex necessitate hypothetica non possunt



non, præscindendo etiam a voluntate Numinis legislatrice, quædam in se bona homini ac honesta, quædam vero turpia ac perniciosa videri. *Formam Juris Nat.* itidem, omnes affirmant, consistere in eo, quod mentibus hominum omnium natura insideat, (siquidem vox ipsa docet, illud mortalibus natura innotescere debere,) eosque obliget ad actiones suas juste ac honeste instituendas. Qvare etiam Cicero pro Milone dicebat: *Est hoc non scripta, sed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripimus, bausimus, expressimus.* Principium autem cognoscendi est integra quædam propositio communis, ex qua ceteræ propositiones & conclusiones de officiis cum erga Deum, tum erga seipsum, tum erga alios recte instituendis deducendæ sunt. Atque de hac in primis inter se disceptant viri docti, & de ea, nos quoque infra copiosius agemus.

### §. III.

*Juris* notio in triplici significatu communiter usurpari solet. Modo enim operationibus nostris trahitur, indeqve actiones justæ dicuntur, & qvidem vel sensu aiente, ut Moralistæ loqui amant, id est, qvæ necessario congruunt cum objecto suo, aut præscriptæ a superiore atqve mandatae sunt; vel sensu negante, qvo actiones etiam justas appellamus, qvæ saltem non sunt illicitæ: Modo *Juris* vocabulum pro attributo personæ accipitur, idemque est, ac qualitas moralis personæ competens ad aliquid juste habendum vel agendum: Modo denique terminus *Juris* sumitur pro lege Naturæ, aut potius complexu plurium legum; qvæ significatio in hoc argumento a plenisqve attenditur. Non enim de consiliis saltem di-

cunt



cunt hic agi, qvibus homini tantummodo svadeatur,  
ut actiones suas recte instituat, honesta semper secte-  
tur, malis autem ac turpibus sedulo se abstineat; nec  
de permissione qvadam solummodo sermonem esse,  
qva doceatur, qvid mortalibus agere pro arbitrio suo  
liceat: verum obligationem Jus Nat. reqvirere, qva  
singuli homines ad ejus præscriptum actiones suas  
conformare teneantur. *conf. uterque Grotius, Hugo de*  
*J. B. & P. Lib. I. cap. i. §. IX. Gvilielmus de Principiis J. N.*  
*cap. I. §. III.* Nos primam significationem, qvoad a-  
ctiones in se justas, cum terria, sine omni tamen con-  
fusionis periculo, hic conjungendam esse, arbitra-  
musr.

#### §. IV.

*Natura* vocabulum tanto diligentius ab æqvivo-  
catione liberari meretur, qvanto sæpius inde confu-  
sionem in hac doctrina obortam esse, deprehendi-  
mus. Sumitur autem *Natura* nunc pro instinctu na-  
turali in omnibus animantibus, nunc pro ipsa ratio-  
ne in homine, nunc pro affectibus vitiis, nunc pro  
ordine rerum naturali, nunc pro ipso Deo, quem  
veteres Naturam naturantem dicere solebant, nunc  
pro naturali illa Dei operatione, quæ mentibus no-  
stris infedit, cuius Deus auctor est, quemadmodum  
Augustinus loquitur, *Lib. III. Confess. vid. Gvil. Grotius*  
*I. c. §. V.* Quas diversas vocis Naturæ significatio-  
nes confundere visus est cum vetere Jureconsulto,  
Ulpiano, Hugo de Roy, quippe qui etiam brutis a-  
nimantibus aliquod Jus Nat. tribuere voluit, sed pro  
ultimo, qui in hac disciplina usu venire solet, pri-  
mum vocis Naturæ significatum male arripuit, A-  
liud



liud enim est Natura, aliud Jus Naturæ, ut probe,  
observat B. Zentgravius *de Orig. Verit. & Immut. Re-*  
*ctis. Juris Nat. pag. 7.* Nec aliquis hoc nomine secun-  
dum jus Nat. agere dicendus est, quando & quia se-  
cundum vim & instinctum naturæ agit; quemadmo-  
dum nec vicissim, quod est contra jus Naturæ, et-  
iam contra naturam esse, dici debet. Consuescere  
cum parentibus procreandæ sobolis causa negat,  
Myrrha apud Ovidium *Lib. X. Metamorph. Fab. IX.* esse  
contra naturam, et si contra Jus Nat. commissum  
scelus sit: sicut & vicissim contra naturam sive na-  
turalem instinctum est, suppicio capitali afficere,  
homicidam, quum homo per naturam mortem hor-  
reat, et si non aduersetur Juri Naturali. Minus re-  
ste ideo etiam fecit Vasquez, quando Naturam in-  
præsenti doctrina juxta secundum significandi mo-  
dum pro ipsa ratione accepit, dixitque, Legem Na-  
turalem in creatura rationali esse ipsammet natu-  
ram, quatenus sit rationalis *Tom. I. secunde Diff. CL.*  
*cap. III. §. XXII.* qvum ratio medium & dextrum &  
dextrum quidem sit Juris & Legis Naturalis, non au-  
tem Lex ipsa, quae ab alio superiore rationi promul-  
gata & impressa est. Pertinet huc etiam illorum  
error, qui per naturam hic ordinem naturalem a  
Deo constitutum intelligunt, quum non minus bru-  
ta & res inanimatae æque ac homines ordinem in-  
agendo naturalem observent: nequaquam tamen  
ea jure quodam naturali aliquis obligari, assevera-  
bit. Sed dominatur hic notio Naturæ in ultimo si-  
gnificatu, quo Deus menti humanæ naturaliter per  
notiones communes imperium inscripsit, juxta quod  
ratio

ratio in actionibus necessario suscipiendis intermit-  
tendisque judicare debet.

§. V.

Verum antequam ad ipsummet institutum ac-  
cedamus, & de principio, ex quo capita Juris Nat.  
deriventur, agamus, prius non immerito quæri-  
mus cum Guil. Grotio *l.cit.* §. VII. an detur aliquod  
Jus Naturæ? Non enim defunt cum ex veteribus,  
tum recentioribus, qui illud vel in dubium vocare,  
vel prorsus inficiari conati sunt. De Euphemio te-  
statur Thucydides, quem *Lib. VI. pag. m. 166.* ita locu-  
tum esse refert: ἀνδρὶ τυράννῳ η πόλει ἀρχὴν ἔχεσθη φ-  
δὲν ἄλογον δ, τι ξυμφέγον principi aut reipublica imperi-  
um babenti nihil injustum, quod utile. De Academi-  
cis veteribus constat, in primisque de Carneade La-  
Estantius scribit: *Eius disputationis summam banc fuisse;*  
*Jura sibi homines pro libertate sanxisse, scilicet varia pro*  
*moribus, & apud eosdem pro temporibus sepe mutata;* *jus*  
*autem naturale esse nullum:* *Omnes & homines & alias*  
*animantes ad utilitates suas natura docente ferri;* *proin-*  
*de aut nullam esse justitiam, aut si sit aliqua, summam*  
*esse stultitiam, quoniam sibi noceret alienis commodis con-*  
*culens.* *Lib. V. Divin. Instit. cap. XVI.* De Archelao,  
Pyrrhone, & Aristippo consulatur Diogenes Laer-  
tius in Vitis. Ex recentioribus multi hoc referunt  
Spinozam, Hobbiūm, Thomam Anglum, Hel-  
montium, aliosque, conf. B. Roebrensee, *Præceptoris*  
*quondam desideratissimi, Prudentia Moralis Part. III. cap.*  
*II. §. VII.* *Esse vero Jus Naturale, ea, qua nobis*

B

Vel.



Velthusius in Tract. de Principiis Justi & Decoris præ-  
ivit, via declarabimus, unde postmodo facile prin-  
cipium quoque Jur. Nat. cognosci & investigari po-  
terit. Tria autem sunt postulata, totidemque  
conclusiones, quæ ex iis eliciuntur, quibusque post-  
ea Vitii ac Virtutis Moralis demonstratio superstru-  
itur. Initio, siquidem hic sermo non est cum A-  
theis, qui ex alio capite de existentia Numinis con-  
vinci queunt, præsupponimus, Deum esse; ipsum  
condidisse Mundum in sapientia, pariter nobis con-  
cedi, petimus; Porro Deum sapienter conditum  
mundum sapienter quoque conservare, adeoque in  
regimine mundi justitiam, sanctitatem ac veritatem  
exercere velle, ob summam essentiæ divinæ perfe-  
ctionem etiam assumimus. Ex hisce postulatis &  
concessis concluditur I.) Deum in creando mundo  
finem sibi proposuisse, ad eumque media dirigere,  
quum alioqui non sapienter creasse omnia dicendus  
esset, propterea quod Sapientia semper directionem  
mediorum ad certum finem innuit. II.) Media in-  
se habere debere aptitudinem ad finis consecutio-  
nem, alioqui, Deum propter finem operatum esse,  
dici non posset. III.) Hominem non impune la-  
turum, si faciat contra Sanctitatem ac Veritatem  
Numinis, devierque hac ratione ab ordine illo, quem  
ab homine observari vult Deus in consecutione fi-  
nis, quem & sibi & homini, seu creaturæ rationa-  
li, proposuit; præmioque e contrario afficiendum  
illum, qui vitam & mores instituit juxta ordinem  
a Deo præscriptum. Nihil enim aliud indicat justi-  
tia Dei, præter pœnarum & præmiorum legitimam  
distri-

distributionem, ut scilicet malis acerba sit conditio, bonis grata & optata. Ex hisce omnibus porro cum Velthusio colligimus, dari Jus Naturæ virtutemque & vitium Morale, quod notionibus communibus sua sponte cognoscatur: neque ex utilitatis & commodi ratione formam boni moralis & virtutis petendam esse, sed ex ratione ipsa, cuius rationis nova ratio querenda non sit, quia tunc res abiret in infinitum. Neque existimandum, rationem illum nisi commodo & utilitate, quam cultus virtutis effundit in societatem civilem, ac si de virtute iudicium fieri non posset, nisi ex ejus exercitatione magni fructus ex vita civili, multorumque incommodorum fuga ostenderetur; quum non istorum malorum & commodorum per virtutis usum aestimatio atque consideratio nobis demum pariat ideam & notionem virtutis, sed ob finem antea dictum vim illam de virtute & vito morali *ex congruentia vel repugnantia actuum cum objecto* judicandi ipsum met Numen nobis ingeneraverit, nempe ob decreatum justitiae, sanctitatis, veritatisque in conservacione & regimine mundi exercendæ.

§. VI.

Posteaquam igitur de existentia Juris Naturalis ad præscriptum Velthusii constat, demonstratum que est, quomodo ejus notio & dictamen ipsis hominum mentibus ingeneratum sit, facile jam erit declaratu, quoniam principium cognoscendi genuinum constituendum, & ex quo enunciato de-



creta Juris Nat. deducenda sint.. Nempe quum  
actio omnis fiat propter finem, homo autem per  
haec tenus dicta semper finis in creatione rerum a  
Deo intenti considerationem sibi ante oculos pone-  
re debeat, sua sponte hoc axioma , tanquam pri-  
mum Juris Nat. principium sese homini offert :  
*In agendo, ceu creatura rationalis, semper respice finem,*  
*a Sapientissimo Numine in creatione mundi intentum, ti-*  
*bique per dictamen rationis natura impressum.* Finis  
autem ille , quum duo involvat , una ex parte Ju-  
stitiam , Sanctitatem , Veritatemque Numinis ho-  
mini sifstat, quam in regimine rerum universarum  
exercendam decrevit Deus immortalis, qui nec a-  
liter decernere potuit ob repugnantiam vel congru-  
entiam actuum in se bonorum vel malorum cum  
objectis ; altera vero ex parte ipsam conservatio-  
nem mundi conditi proponat : ad utrumque,  
impigre observandum quoque homo se obligatum  
esse , agnoscat.. Nimirum primario ad sanctita-  
tem Numinis, justitiam , veritatemque, quæ ha-  
buit respectum ad actuum rationem internam ,  
semper oculos intendet, actionesque suas ad ean-  
dem conformare studebit , deinceps & secunda-  
rio ea simul , quantum in se est , diligenter procu-  
rabit , quæ ad conservationem felicitatemque sui,  
ceu creature præstantissimæ , mundique partem  
excellentissimam constituentis , pertinere intelli-  
get .. Verbo : Homo, ut est creatura , sui con-  
servationi studebit, quod ex ordine naturali patet ;  
ut est creatura rationalis , actus componet cum  
suo objecto , adeoque Justitiae & sanctitati Numi-  
nis

nis se conformabit, quod ab eo Jus Naturale requiri. Hinc etiam constabit, quæ jure naturæ vetita sint, quæ vero mandata. Scilicet quæcumque ita sunt comparata, ut cum objecto suo necessario congruant, adeoque sine illis antea commemoratus finis obtineri nequeat, illa tanquam jure Naturæ imperata prosequetur homo; ea autem, quæ non congruunt cum objecto, pugnantque cum sanctitate & justitia Dei, vel etiam interitum sui ac damnum accelerant, tanquam jure naturali prohibita sibi, evitabit studiose.

§. VII.

Genuinum ac rectum esse hoc Juris Nat. principium, inde probamus, quia singula hic reprehenduntur, quæ alioqui a sapientibus ad principia requiri dicuntur. Scilicet quodvis principium, debet esse initio Verum, deinde Evidens, Primum, ac denique Adæquatum in genere suo, ut & omnia & sola illa sub se comprehendat, quæ postea ex eo deducenda sunt.. Ita enim Philosophorum Princeps Analytic. Poster. Lib. I. cap. II. scribit, : αὐγεῖν, τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπισήμην ἐξ ἀληθῶν τὸ ἔνα, καὶ πρώτων, καὶ αἱρέσων, καὶ γνωμικωτέρων, καὶ διτίου τῷ ευμετρεστάτωτος. Τοιούτοις γαρ ἔσονται αἱ σόφειαι σινεῖαι τῷ δεκτηρίῳ, Demonstrationem oportet esse ex veris, Εἰ pri-mis, Εἰ notioribus, Εἰ causis conclusionis. Sic enim erunt principia propria ejus, quod demonstratur. Ad Veritatem igitur enunciati nostri quod primo attinet

net, illam inficiaturum esse facile neminem, arbitramur, quum ratio prædicandi fundata sit in ipsa conditione subjecti, sub qua illud necessario in præsenti considerandum venit. Doctrina enim Juris Naturæ subjectum nobis repræsentat hominem, prout natura sese habet, atque a Deo sapientissimo est productus, ideoque pro hac conditio ne & in hoc statu naturali actiones suas instituere debet. Sola autem hæc conditio inter creaturas visibiles homini est essentialis, eumque ab aliis distinguit, quod ipsi excellentissimum hoc donum, singularemque hunc characterem tribuerit Deus immortalis, quod nempe ratione sit instructus: rete igitur in principio nostro subjecti loco Hominem collocavimus, cum hac determinatione, quantum est creatura rationalis. Jam vero quod Prædicatum firmiter hac conditione innitatur, itidem mente quivis haud difficulter assequetur, qui pàulo diligentius dicta secum perpenderit. Etenim ratio quid aliud est, quam facultas tum cognoscendi di-judicandique vera æque ac bona, quam Intellectum appellamus; tum libere agendi, bona appetendi ac prosequendi, mala vero aversandi ac fugiendi, quæ Voluntatis nomine venit? Ubi quidem controversiam illam in præsenti nostram non faciemus, quando a recentioribus queritur, vis judicium ferendi de rerum veritate pariter ac bonitate Voluntatine potius, an Intellectui adscribenda sit? quod prius plurimi ex modernis asseverare student: quos tamen vel unicum Medæ exemplum alia docere posset, quæ accurate duas mentis facultates



tes discernit, & utrique suum officium tribuit, quando dicit apud Ovidium : *Vide meliora, proboque,* en intellectus & cognitionem & judicium de bonis ! *Deteriora sequor*, en post institutum judicium Voluntatis adhuc in agendo libertatem ! Interea quum hac ratione homo natura habeat facultatem dijudicandi bonum a malo, & natura ad boni prosecutionem, ad mali autem aversionem propendeat : idcirco menti hominis ingenerata sit operet norma dijudicandi bona, & finis quidam communis animo impressus sit, necesse est, ad quem, ceu rationalis creatura respiciat semper actionesque suas dirigat. Ille finis autem, uti ex §. V. patet, quum sit conservatio sui cum justitiae & sanctitatis Dei imitatione conjuncta, quam homo obtinere nequit, nisi actus omnes conformet cum objectis : verum omnino manet principium nostrum, quippe quod ita ex ipsa hominum naturali conditione fluere videtur.

### §. VIII.

Sed forte in Veritate hujus principii declaranda obligationem desideras, qua manifestum sit, hominem per principium hoc ad actiones suas ita instituendas obstrictum teneri ? Enimvero habes hic decretum & mandatum Dei, ut supra visum est, qui non solum potest, verum etiam vult homines obligare, ut operationes suas ad legem naturalem moderentur. Quod possit eos obligare, non

non quidem ex eminentia majestatis & virtutis di-  
vinæ , neque ex potestate , utpote cui nemo resi-  
stere possit , multo minus ex nuda consensione ho-  
minum probamus ; verum jure creationis & con-  
servationis evenire dicimus , quare Deo justa cau-  
sa tribuatur , ut obsequium a mortalibus exigere ,  
immorigerosque & reluctantibus poenis afficere que-  
at . Nam qui opus aliquod produxit , jure hoc  
etiam sibi vindicat , suoque dominio & suo impe-  
rio illud obnoxium dicit . Sed Deus homines ex  
nihilo formavit , quod supra , ut concessum , cum  
Velthusio assumsimus , illis quoque rationem & li-  
bertatem largitus est , ideo hanc etiam certis legi-  
bus adstringere atque intra justos limites coercere  
utique potest . Quod autem Deus hominem etiam  
velit obligare , patet ex eo , quia sine observatio-  
ne legis naturalis homo salvus & incolomis esse  
non potest . Jam vero Deus hominem non produ-  
xit , ut eum statim iterum destrueret , sed utique  
ejus conservationem , incolumentem ac felicitatem  
intendit ; ad legem itaque naturalem ipsum omni-  
no etiam vult obligatum esse , ut hanc semper ob-  
servet , ad ejusque præscriptum actiones suas diri-  
gat . Conf. Buddei Philos. Pract. part. II. cap. IV. §.  
III. Atque haec obligatio fluit ex Jure Naturæ ,  
quatenus ab aliis cum lege Naturæ idem esse dici-  
tur ; cui accedit obligatio Juris Naturalis , quatenus  
Jus est , quæ oritur ex necessaria vel congru-  
entia , vel repugnantia actus & objecti .

### §. IX.

Prioritatem principii nostri nemo, credimus, impugnabit, quum in eo per haec tenus dicta contineatur prima veritas, ex qua omnis veritas Juris Nat. postmodum deducenda est. Ad *evidentiam* potius transimus, & quomodo hæc itidem enunciato competit, indicandum esse, judicamus. Hic equidem nonnulli tantam perspicuitatem desiderant, ut etiam flagitosi ac stulti homines statim inde præcepta Juris Nat. intelligent, iisque persuaderi se patiantur. Ita Christ. Thomasius *Tr. de Fundamentis Juris Nat.* & *Gent.* Lib. I. cap. IV. §. IV. scribit: *Debet primum principium, quod querimus, esse perspicuum, hoc est, ut non solum conveniat cum intellectu sapientum, sed & sit ad captum & sensum communem stultorum.* Sed quum legis naturalis non sit, tantum persvadere, verum etiam obligare, & juxta ipsam Viri celeberrimi hypothesis necessario perversi homines a stultitia prius liberandi sint, meliusque de vera felicitate informandi, antequam ea agere possint, quæ vitam ipsorum reddant & maxime diuturnam, & felicissimam; frustra hic ejusmodi perspicuitatem, quæ ad stultorum captum sit, desiderari arbitramur. Rectius sentit Puffendorfius, qui de *Jure Nat.* & *Gent.* Lib. II. cap. III. §. XIII. *Quoniam, inquit, non cuiusvis sit, legem naturalen artificiose deductione ex principio suo eruere; ut tamen omnibus hominibus usū rationis gaudentibus illa cognita dici possit, sufficit, quod saltem mediocria ingenia eam demonstrationem sibi ab aliis propositam capere, & ejusdem veritatem, collata nature sue conditione, liquido perspicere queant.* Talis igitur evidens in nostro quoque principio adest, ut non tantum perspici illud

C

statim,



statim, verum etiam singula juris Nat. præcepta ab  
ingeniis vel mediocribus ex eo facile deduci possint,  
quod posterius, quum de adæquatione agemus, post-  
hoc patefiet. Etenim I.) cui mortalium sui conser-  
vandi studium non est evidens? quis non videt,  
quemvis illud a natura edoceri, omnesque eo sem-  
per eniti, ut in primis sui conservationem procurent?  
Quod vero II.) conformatiōnem actionum ad justi-  
tiā & sanctitatem Numinis attrinet, ejus evidentia-  
m declarant α) *Notiones communes*, de Deo, ejus boni-  
tate, justitia, sanctitate, veritate, ideo a natura nobis  
impressæ, ut ad eas in agendo respiceremus: quas li-  
cer non desint, qui hodie impugnare, vel prorsus in-  
ficias ire audeant, ut fecit Lockius, Petrus Bælius,  
Fontenellius aliisque, recte tamen eas e contrario a  
viris celeberrimis propugnatas & defensas esse no-  
vimus, præcipue quum Gentium Doctor Paulus ad  
convincendos Romanos easdem quoque urgeat,  
*Rom. I, 20. c. II, 14. 15. conf. Magnif. D. Valent. Ernesti Loesberi,*  
*Præceptoris ac Patroni eternum obseruandi, Prænotiones The-  
ologicas p. 115.* Declarant β) *motus interni*, quos pe-  
nes se percipit homo in actionibus suis, quibusque  
admonetur semper, ut justitiae divinæ in agendo  
rationem habeat. Recte enim & juste si ope-  
rationes instituant mortales, quietem & gaudium  
internum sentiunt; secus si faciant, interne ipsorum  
mens angustatur, statimque supremum aliquem ju-  
dicem veretur & timet, tanquam vindicem malarum  
actionum. Declarat denique γ) *Naturalis propensio*  
hominis ad dignitatem suam tuendam, qua sui præ  
aliis creaturis præstantiam agnoscens homo semper  
majorem perfectionem appetit, eaque facere studet,  
quæ



quæ sibi majorem estimationem conciliant; illa autem fugit, quibus sibi maculam aut labem contraheret, vel etiam vitæ suæ conditionem infra brutorum animantium sortem detrudere videtur. III.) In primis evidentiam principii confirmat demonstratio desumpta a necessaria actuum ipsorum vel congruentia vel repugnantia cum objecto, qua illi per naturam & in se cum rebus objectis vel convenire, vel non convenire judicantur, ut ex blasphematione & cultu Numinis, ex *autozeglas* crimine, & sui conservandi studio, ex læsione alterius hominis innocentis & mutua mansuetudine ac benevolentia patet. Qvæ omnia evidenter satis ac perspicue ostendunt, hominem non tantum ingeneratam sibi a natura sanctitatis & justitiae divinæ notionem habere, verum etiam internis veluti stimulis concitari, ut ejusmodi perfectiones imitetur, seque ad eas, quantum fieri potest, conformat.

### §. X.

Verum dicat aliquis cum Puffendorffio l.c. §. V. obscurum esse ejusmodi enunciatum ex eo, qvod longe alia sit sanctitas, & justitia Dei, quam hominum, ut adeo hi se ad illam conformare nequeant. *Inter homines, inquit ille, sanctum nos solere vocare, qui crassioribus sese vitiis absineat, & officii sit observans.* Ad istum modum quis sanctitatem Dei conceperit? *Justum inter homines baberi, cui cordi sit, neminem sedere, suum cuique tribuere;* *Ait Deo utique jus esse, quod creavit, destruendi, etiam cum aliquo doloris sensu.* Sed ante omnia hic monemus, *aliam esse conformitatem & similitudinem essentialem seu univocationis, ut loqui communiter solent, aliam vero accidentalem & nude representationis.* Ab hac ad

essentialis in Deo sanctitatis & justitiae accuratam cognitionem in omnibus nemo utique progredietur. Præterea sanctitas, si proprie & strictim sumatur, non abstinentiam a crassioribus tantum vitiis, verum perfectam omnisque labis expertem puritatem denotat; & hoc modo etiam sanctitatem Numinis homini roris sit. Justitia vero nihil aliud indicat, quam rectitudinem Voluntatis suam cuique tribuentis remunerando & vindicando; quæ licet in Deo longe perfectior sit, quam in homine, & ad longe plures actus ob jus creationis dominiumque supremum in res universas extendatur, ad quos exercendos aut suscipiendos homo neque jus, neque facultatem habet; nemo tamen ideo negabit, generatim consideratam illam rectitudinem Voluntatis divinæ ipsum in agendo imitari, ad eamque operationes suas conformare & posse & debere. Et quid est, quod nos hodie tantopere ambigamus, utrum homo in agendo ad Deum respicere, eiique se conformem reddere debeat? quum ipsimet Gentiles dudum id agnoverint: qui quamvis in præxi plerumque in devia abirent, & nescio quam sibi  $\alpha\pi\sigma\theta\epsilon\omega\tau\eta$  imaginarentur; satis tamen inde perspicere licet, agnovisse illos non saltem justitiam & sanctitatem Numinis, verum etiam hanc homini pro viribus omnino imitandam judicasse. Ita notum est illud Pythagoræ in *Aur. Carm.*

τάῦτα σε τῆς θεῖς ἀρετῆς εἰς ἵχνα θῆσαι.  
TAUTA SE TΗΣ ΘΕΙΣ ΑΡΕΤΗΣ ΕΙΣ ΗΧΝΑ ΘΗΣΑΙ.

Hæc te amare oportet,

Hæc te in virtutis divinæ vestigia ducent.  
Sic etiam Socrates apud Platonem cum Theæteto p.  
m. 82, ita loquitur: διὸ περὶ αὐτῆς Χεὶ ἐνθένδε μάκισε φέν-

γεν

γεν ὅτι τάχισα, Φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῶ πατρὶ τῷ δυνατόν.  
ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὄστον μετὰ Θεούποτες γενέθλαι,  
quare conandum est, ut hinc illuc quam celerrime fugia-  
mus; fuga autem est; ut Deo similes pro viribus efficiamur.  
Deo similes efficit cum prudentia iustitia & sanctitas. De  
qua conformatio[n]e cum Deo quoque Plutarchus scri-  
bit Tom. I. Op. fol. 150. σκοπεῖτε περῶτον, ὅτι πατέρα Πλάτωνα  
πάντων παλῶν ὁ θεὸς εἴαυτὸν ἐν μέσῳ παραδειγμάτων θέμεν  
τὴν αὐθεωπίνην ἀρετὴν ἔξουσίων ἀπαντήσας γέπως, πέρος αὐ-  
τὸν ἐνδίδωσι τοῖς ἑπεδού θεῷ δυναμένοις, considerate primum,  
quod, Platone auctore, Deus se in medio exemplar omnium  
bonorum quin proposuisset, humanam virtutem, qua homo  
similis Deo, aliquo modo saltem redditur, parandam concessit  
bis, qui Deum sequi possunt.

### §. XI.

Adequatum denique etiam est principium supra  
constitutum, quia ex illo & omnia & sola præcepta  
Juris Naturæ ultimo per legitimæ consequentias leges  
inferuntur, atque in illud iterum resolvuntur. Sem-  
per enim actiones nostræ sunt examinandas ad creato-  
ris decretū & finem, quem Deus in agendo nobis præ-  
scripsit, & ad quem perpetuo hominem vult esse ob-  
ligatum. Qvodigitur ex hoc principio initio *sola præcepta Jur. Natur.* fluant, inde patet, quia nobis per di-  
ctamen rationis natura notum & inscriptum esse di-  
citur. Sic autem neque præcepta Juris positivi divi-  
ni, neque humani, sub se comprehendit, quorum illa  
ex revelatione peculiari, haec vero ex arbitrio & con-  
fessione hominum originem trahunt. Deinceps ve-  
ro etiam *omnia præcepta Juris Natur.* principium hoc  
pro sede & fundamento suo agnoscunt. Etenim jus  
Natur. hominem informare debet, quomodo ad offi-

cia cum erga Deum, tum erga seipsum, tum erga alios  
homines recte præstanta obstrictus sit. Quocunque  
modo autem hominem consideres, principium no-  
strum eum obligabit ad actiones suas rite instituendas.  
*Officia erga Deum exigis*: enunciatum hoc statim mon-  
strat, quoda Deo dependeas, ad ejusque decretum ti-  
bi, tanquam creaturæ rationali, agendum sit, qvod ipse  
non tantum condiderit mundum, sed etiam in ejus-  
dem regimine justitiam & sanctitatem exerceri velit;  
unde non poteris non amare Deum, eumque ut sum-  
me justum, potentem ac sanctum revereri, quibus  
ipsis actibus, tanquam actibus necessario cum objecto  
congruentibus, cultus Dei absolvitur. *Officia hominis*  
erga seipsum declarare cupis: statim hic deprehendis,  
te ita vivere debere, ut & tui conservationi studeas, &  
in agendo te ad sanctitatem Numinis conformes: il-  
lud vitam temperantem, hoc sanctam, honestam, &  
virtutis studioram exigit. Denique *officia erga alios*  
desideras: ob tui conservationem tibi necessario so-  
cialiter vivendum esse, facile perspicis, propterea,  
quod ad tuendam vitam aliorum semper auxilio indi-  
geas. Qvomodo autem hic gerere te debeas, justitiae  
& sanctitatis studium docebit, & accurata ac diligens  
collatio actuum omnium cum objectis suis. Laudam-  
mus hic regulam Hobpii, ex principio nostro directe  
fluentem, licet in eadem secundum suam hypothesin  
sibi ipsi contradixerit: *Quando quis scire vult, quod fa-  
cturus est in alterum, utrum jure naturali facturus sit, nec ne-  
putet, se esse in alterius loco, Hobbes de Cive cap. III. §. XXVI.*

§. XII.

Declarato itaque genuino Juris Nat. principio, re-  
liquum est, ut de aliorum opinionibus circa hanc do-  
tri-

Arinam quid habendum sit, breviter moneamus. Et quoniam THOMÆ HOBBII, Malmesburiensis, modo fecimus mentionem, ejus hypothesis primo etiam loco nobis consideranda venit. Hic autem vir alioqui acutissimus, Legem Naturæ describit, quod sit dictamen recte rationis circa ea, que agenda vel omittenda sunt ad vitæ membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diu- turnam. Ubi tamen, quid per rectam rationem intel- ligat, in adjectis annotationibus statim exponit: Per rectam rationem, in statu hominum naturali intelligo non, ut multi, facultatem infallibilem, sed ratiocinandi actum, id est, ratiocinationem uniuscujusque propriam & veram circa a- ctiones suas, qua in utilitatem vel damnum ceterorum homi- num redundare possint. Principium igitur & fundamen- tum omnis Juris Naturæ in hoc enunciato ponit: Querenda est pax, ubi haberi potest; ubi non potest, queren- da sunt bella auxilia. Sed quum Hobbius ex conficto quodam bello omnium adversus omnes, seu ex mu- tuuo metu initia omnis juris, omnisque societatis deri- vet, imo ante pacta & leges conditas nullam neque justitiam, neque injustitiam, neque bonum, neque ma- lum publicum esse inter homines magis, quam besti- as, statuat, Tr. de Homine cap. X. tantum abest, ut verum hoc principium Juris Nat. esse queat, ut saltem dicis causa illud in medium attulisse videatur. Quodsi præ- fationem ad Tract. de Cive inspicimus, Hobbiuum jus Naturæ prorsus inficias ivisse, patet. Aperte enim ibi operam illorum probat, qui ostenderint, doctrinas de justo & injusto, bono & malo, præter leges in una- quaque civitate constitutas, esse nullas. Facile proin- de assentimur celebb. Buddeo, qui in Historia Juris Nat. §. XXVI. de ipso ita judicat: Suam, quam Hobbius ex- cogi-



cogitavit de statu naturali fabulam, ceteraque, quæ ei-  
dem superstruxit, eo comparatam voluit, Carolo se-  
cundo ut placeret, Angliæ Regi. Conf. illustris Henr.  
*Cocceji Levias* *ban confutatus.*

§. XIII.

Hobbio statim accensimus BENEDICTUM SPI-  
NOZAM, qui quum omnia dicat dependere a necessi-  
tate quadam irrefragabili, & tantum cuivis licere, asse-  
veret, quantum ipsi virium a natura tributum sit, adeo-  
que ex potentia cuiusvis hominis jus Naturæ metia-  
tur ; nemo non videret, leges Naturales non adstrui, sed  
everti potius per ejusmodi necessitatem Stoicam, ho-  
minique nescio ad quid non agendum, si vires saltem  
sufficiant, libertatem concedi. *Vid. Tract. Theol. Polit.*  
*c. II. & IV. ir. de Intellectus emendat.*

§. XIV.

Decus illud Angliæ JOANNES SELDENUS, qui  
ad disciplinam Ebræorum sistere eruditis Jus.Nat.vo-  
luit, varia capita conjunctim commemorat, nempe de  
cultu extraneo, de maledictione Dei, de effusione san-  
guinis sive homicidio, de turpitudine ex concubitu, de  
rapina & furto, de regimine forensi, de membro ani-  
malis viventis non comedendo, quæ Ebræorum ma-  
gистri pro regulis præcipuis Jur.Nat. habeant, quarum-  
que alias primo homini a Deo datas, alias vero post e-  
luvionem demum Noacho promulgatas esse dicant.  
Verum ut taceamus, quod hac ratione sequeretur, ho-  
mines ante eluvionem non ita obligatos fuisse ad Jus  
Nat. quam quidem posteri Noachi, quod plane incon-  
veniens foret ; iamdum ex ipsa præceptorum com-  
memoratione quivis intelligit, ad Jus Nat. quædam-  
hic referri, quæ non nisi ex Lege positiva & revela-  
tione

tione constant , adeoque ad præsentem disciplinam  
prorsus non pertinent.

§. XV.

In examinandis illorum opinionibus , qui vel ex or-  
dine Naturæ , ut SFORTIA PALLAVICINUS , ve ex  
communi hominum benevolentia , ut RICHARDUS  
CUMBERLAND , principium Juris Nat. construunt,  
non est , ut moram trahamus . Ad notissimas potius  
hypotheses nos convertimus , quas hodie adhuc Mora-  
listæ celeberrimi amplectuntur , & quid in illis initio  
desidereremus , deinde vero in quantum cum principio  
nostro conciliandæ sint , indicabimus . Tres autem præ-  
cipui sunt modi , quibus recludere fontes Juris Nat. con-  
tendunt . Nimirum alii cum Grotio & Puffendorffio  
custodiam societatis in medium adducunt : alii cum B.  
Valent. Alberti ex statu integratatis principium Juris  
Nat. derivant : alii cum Christiano Thomasio conser-  
vationem sui & studium eorum , quæ vitam hominum  
reddunt & maxime diuturnam & felicissimam , omni-  
um optime fontem J.N. declarare , credunt .

§. XVI.

Quod ad sententiam B. VAL. ALBERTI , Theologi  
summi , attinet , fatemur , hunc magnæ eruditionis vi-  
rum abunde omnibus demonstrasse , quam optime sit  
in hoc doctrinæ genere versatus . Quando autem ima-  
ginem divinam pro norma & principio Juris Nat. afflu-  
mit , multa quidem eleganter illustrat ; veruntamen iis  
Christiani potius , quam omnes homines videntur ob-  
ligari . Etenim imago illa erat perfectio & ornamen-  
tum aliquod supernaturale : hic autem de perfectione  
& rectitudine actionum suarum homo est sollicitus ,  
quam ex viribus naturæ potest consequi . Totam ima-  
ginem

D



ginem divinam post lapsum amissam esse, docent S. literæ: quis vero Jus Nat. interisse credat? Minime igitur Jus Nat. cum imagine illa divina idem facere potest, & magis hæc talia ad Theologiam Moralem, quam ad disciplinam juris Nat. pertinere videntur. Interea utique recte fecit B. Vir, in eoque nobiscum consentit, quod in conformatione nostri cum Creatore principium posuerit Juris Naturæ, si modo illam non ex habitu supernaturali, sed ex naturæ viribus deduxisset.

§. XVII.

De Socialitate satis constat, quæ jamdum disputata fuerint inter viros eruditos, neque illam litem in præsenti nostram faciemus. Agnoscimus doctrinæ de custodia Societatis veritatem, addimus, & aliqua ex parte perspicuitatem, quum homo natura ad societatem inclinet, ac sine illa commode vivere nequeat, ideoque contra eandem nihil faciendum esse, ipsa ratio dictitet. Sed non adæquatum nobis videtur esse principium socialitatis; siquidem inde tantum officia erga proximum immediate derivantur, & non nisi indirecte officia hominis erga Deum & erga seipsum ex eo declarari possunt, id quod etiam ipsem et celeb. Thomasius, accerimus antea hujus sententiae propugnator, *in Fundamentis Juris Nat.* & Gent. quæ superiore anno prodierunt, agnoscit; *Custodia socialitatis*, inquit, *bacenus quidem a nobis contra objectiones dissentientium non male defensa, jam displicet, quia partim ambagibus opus est in deducendis hominis officiis erga seipsum;* partim non adeo perspicue comprehendit præcepta honesti; partim etiam vel miscet, vel certe non accurate secernit præcepta justi & decori. Lib. I. cap. VI. §. XIX. Quare doctrina de socialitate in eo quidem nobiscum consentit,

tit; quod iridem hominem ob sui conservationem obligatum esse ad societatis custodiam dicimus; frustra tamen ideo illam pro adæquato Juris Nat. principio venditari, nobis persuasum habemus.

§. XVIII.

Ultimo denique loco non prætermittenda est propositio CHRISTIANI THOMASII, quam lib. cit. §. XXI. pro norma universalis quarumvis actionum, & principio genuino Juris Nat. tradit, nempe, *Facienda esse qua vitam hominum reddunt & maxime diuturnam & felicissimam.* Ubi quidem verum hoc enunciatum esse dicit, propterea quod apud omnes gentes donum Dei maximum habeatur vita longa & felix; esse quoque perspicuum, & connexionem subjecti cum prædicato in primis ad captum & palatum stultorum esse dispositam, quum omnes velint vivere feliciter & diutissime. Verum aut inanem illam felicitatem intelligit Auctor celeb. quam stulti qui vis in vita flagitiosa, voluptuosa, ambitiosa, vel divitiarum ac opum saltem appetente sibi imaginantur; aut de vera felicitate ipsi sermo est, quam bene cordati in tranquilla, moderata, justitiae ac honestatis studiosa vita propositam sibi habent. Si de priore loquitur, enunciarum pugnabit cum ipso Jure Nat. eique plane contrarium erit; Si de posteriore, sibi ipsi contrariatur Auctor, propositioque minime stultis perspicua, multo minus ad eorum captum & palatum confecta, dicenda est, quum longo labore opus sit prius, quam stulti & pravis inclinationibus indulgentes homines vanam suam de felicitate persuationem mittant, & rectius de vera felicitate informari se patientur. Quid? quod in principio illo nulla appareat obligatio, mortales in agendo ad præscriptum

super-



534

superioris obstringens, quam tamen Jus Naturæ aliqui requirit: sed nudum ibi consilium suppeditatur, quo tantummodo svadetur hominibus, ut rectius actiones suas instituere discant, quo nempe vitam suam quam diutissime conservent, felicesque vivere possint. Præterea licet ex principio illo officia hominis erga seipsum, & ob vitæ diuturnam conservationem, aliqua ex parte etiam officia erga alios derivari possint; quomodo tamen inde officia erga Deum fluant, justitiae & honestas naturalis explicari queat, non videmus. Quare iterum in eo quidem hæc sententia nobiscum convenit, quod homo sui conservationi ac felicitati studere debeat: quoniam vero sub hoc studio omnia præcepta & officia Juris Naturalis non comprehenduntur, neque omnia requisita principii in supra adducta propositione adsint, falso pariter eandem pro norma actionum universali & genuino Juris N. principio assumi, existimamus.

### S. XIX.

Atque hæc fuerunt, quæ circa doctrinam de principio Juris Nat. edisserere animum induxeramus. In examinandis aliorum opinionibus nos ita, credimus, fuisse versatos, ut libere quidem, modestè tamen, mentem nostram exposuerimus. Tantum enim abest, ut Virorum de universa Republica literaria immortaliter meritorum vel labores ideo culpatos, vel laudes obfuscatas velimus, ut potius eorum scriptis nos delectari, debitasque cuilibet laudes ea propter a nobis decerni, ingenue fateamur. Interea quum non sit liberalium ingeniorum, jurare statim in aliorum verba; nemo etiam, putamus, nobis vitio vertet hanc, qua in Disputatione præsenti usi sumus, sentiendi ac judicandi de aliis libertatem.

Wittenberg, Diss., 1703


H-7



5b

b78





*Q. B. V.*  
DISPUTATIO PRIOR  
DE

# PRINCIPIO JURIS NATURÆ GENUINO,

Quam

Rectore Academiæ  
Principe Serenissimis  
Dn. FRIDERICO

Electoratus Sa  
&c. &c.

D. XVII. August  
bor. m.  
eruditiorum  
subjic

P R A E

M. JO. ANDR

&  
Respo  
DAVID CHRISTI

Wittenb

Ex Matre

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTI

*M. 3-27*  
*M*  
*2*

1709 22

